

*In arcu triumphali ad Sanctum Petrum.*

Julio II, pontifici optimo maximoque.

Quia virtute, consilio, felicitate, rem pontificiam a tyrannorum servitute liberavit, pacem libertatemque constituit.

27 Julius episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Injunctum nobis desuper apostolicæ servitutis officium nos admonet et inducit, imo ex dilectionis vinculo, quo singulis præcipue nobis et romanæ Ecclesiæ immediate subiectis astringimur, nos impellit, ut ad illa potissimum intendamus, per quæ civitatum et locorum quorumlibet, nobis et eidem romanæ Ecclesiæ subiectorum, et illarum civium quieti et tranquillitatet et securitati salubriter valeant provideri. Sane, cum ad civitatem bononiensem, nobis et eidem romanæ Ecclesiæ immediate subiectam, cum nostra curia, non sine magno nostro et eiusdem curiae incommodo pariterque dispendio, pro illius liberatione a tyrannide Johannis Bentivoli et illi adherentium, personaliter accessissemus, erga dictum Johannem et illius filios ac nepotes, benignius forsitan quam justicie rigor requirebat, nos habentes, promisimus ipsos cum eorum bonis, quo vellent, sub certis conditionibus tunc expressis, tute et securè accedere. Verum, sicut accepimus, ipsi de misericordia et benignitate, quam eis exhibuimus, in grati, et nescientes a velitis et prohibitis abstinere, satagunt intrare in locis circumvicinis eidem civitati; ut, quamvis, prout speramus, non possent devotionem dilectorum filiorum populi dictæ civitatis erga nos et romanam Ecclesiam immutare, tamen, ut aliquorum animos, præsertim eorum, qui eorum factionis erant, tenerent in suspenso, ex quo possent in eadem civitate tumultus et scandala suscitar. Nos, quibus præcipue cura est civitatem ipsam in pace et tranquillitate conservare, cupientes, quantum cum Deo possumus, salubriter illi providere, motu proprio, et ex certa nostra scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, omnes et singulos cuiuscumque dignitatis et præminentiae etiam ducalis, principes ac marchiones et comites et eorum ac sanctæ romane Ecclesiæ pheudatarios, seu vicarios perpetuos et dominos temporales, nec non communitates civitatum, universitates, oppidorum, castrorum, terrarum et aliorum locorum quorumcumque, cuiuscumque conditionis et qualitatis seu præminentiae existentes, requirimus, eisque districte inhibemus, ne

Johanni Bentivolo, aut eius filiis vel nepotibus ipsorumque sequacibus, a dicta civitate bononiense exilibus, ac nobis et sanctæ romane Ecclesiæ rebellibus et excommunicatis, aliquod auxilium, consilium vel 27 favorem praestare præsumant, nec ipsos per eorum loca et dominia transire permittant, ipsosque Johannem Bentivolum aut eius filios vel nepotes ipsorumque sequaces huiusmodi in eorum dominiis, territoriis, castris, villis aut locis infra centesimum milliarium ab ipsa civitate bononiense comprehensis, retinere, aut eis hospicium tradere vel concedere, quomodocumque, sine nostra speciali et expressa licentia præsumant; alioquin, si contrarium fecerint, excommunicationis sententiam incurvant eo ipso, a qua nonnisi a romano pontifice vel legato nostro, seu alio de eius mandato, præterquam in mortis articulo constituti, et satisfactione prævia, absolutionis beneficium nequeant obtinere. Et nihilominus civitates, eastræ, oppida et villas, ac alia loca et totum diœcesis territorium ac districtum eorum locorum, ad quæ ipsos Johannem Bentivolum, filios et nepotes ac præfatos exules et rebelles eorumque sequaces excommunicatos infra dictum centesimum milliarium declinare contigerit, ac civitatum, castorum, oppidorum et villarum diœcesis, territorii ac districtus prædictorum, ecclesias et cathedrales ecclesiastico interdicto subiiciimus, decernentes illud firmiter observandum, quamdui ipsi sic excommunicati ibi steterint, et per triduum post eorum inde recessum; et si ipsi, seu ipsorum aliquis, ad dictas civitates, eastræ seu loca non declinarent, dummodo in dictarum civitatum seu locorum territorio moram traxerint, dictas poenas, censuras et interdicta incurri et observari volumus et mandamus; itaque ipsis seu eorum aliquo in civitate seu loco principali principatus, ducatus seu marchionatus aut dominii existentibus, totus principatus, ducatus seu marchionatus et dominium huiusmodi interdicto ecclesiastico supposita esse intelligentur; si vero in civitate seu loco non principali vel eius territorio, talis civitas seu locus cum toto suo territorio et comitatu interdicto huiusmodi supponatur, et suppositum esse ex nunc prout ex tunc, et e converso, declarantes, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus quibusvis, litteris et privilegiis apostolicis, etiam in forma brevis, quibusvis principibus supranominatis, nec non ducibus, marchionibus, comitibus, communatibus, universitatibus, ecclesijs, monasterijs, prioratibus et ordinibus etiam mendicantium, ac confratris, sub quibuscumque tenoribus et clausulis, etiam derogatoriis fortioribus et insolitis.